

Longum esset Lectorique tædiosum, quærere hic Vicecomitum, Baronumque numerum: longum Vice-
regum, Gubernatorum, Provinciis Marique Præfectorum: longum denique Magnorum Magistrorum, E-
quitumque variorum Ordinum, in Castella quidem *S. Jacobi*, *Alcantara*, *Calatrava*, & *Rhodiensium* Ordinis
S. Joannis: in Aragonia Cataloniaque ordinis *Montese*: in Portugallia Ordinum, *Militem Jesu Christi* (cujus
Magister ipse Rex est amplissimi sane, ut qui annexas habet Provincias omnes in Africa, Asia, Ameri-
caque inventas) *S. Jacobi*, ejus qui de *Avis* dicitur, itemque *Rhodiensium*, *D. Joannis*. Inter familias vero Hi-
spaniæ, ut hoc obiter addam, antiquitate prima est *Pacieca*, quum Hirtius in Commentariis nominet *L. Junium*
Paciecum, ubi de Corduba agit: ejusque etiam mentio fiat apud Ciceronem lib. vi. Epist. ad Familiares
Epistola ad Leptam. Non minus illustres sunt *Meridona*, *Toletana*, *Cerdea*, *Cardonea*, *Larenfis*, *Velascea*,
Pimentella, *Stunica*, *Henritica*, *Orosia*, *Cordubensis*, *Limenfis*, *Gusmaneæ*, *Mondragonea*, alias alii addant:
& parcant nobis Senatus illi, si ordinem violaverimus. De Administratione Statuque Politico diximus: sequi-
tur Ecclesiasticus. Primatus Hispaniæ antiquissimis temporibus in Hispalensi fuit Ecclesia, inde vero Tole-
tana, usque ad excidium illud Hispaniæ funestissimum. Toletum enim in Barbarorum potestatem redacto,
Bracarenfis Archiepiscopus ea dignitate est functus, docentibus illud Ecclesiæ Bracarenfis Archivis. Recu-
perato Christianis Toletum, quum Toletanus amissam dignitatem repeteret, Bracarenfis autem semel acqui-
sitam retineret, Contentio orta est, quemadmodum legere est lib. i. Decretal. adeo ut adhuc sub Iudice lis
esse scribatur. Qui porro a temporibus Romanorum & Gothorum in Hispania fuerint Præsules docet in
Chronico suo *r. Valsæus* cap. xx. Post ereptas rursus Barbarorum manibus Hispanias, Episcopatus cum
Antiquis suis Civitatibus sunt restituti, tum quidam in nonnullis recens instituti. Septem hodie Archiepi-
scopos Hispaniam habere legimus, iisque subesse Episcopos circiter xl suffraganeos. Primus est *Toletanus*,
Castellæ Cancellarius, cui post Reges Regiamque prolem nullus vel dignitate vel fortunæ amplitudine se-
cundus. Parent illi Episcopi, *Burgensis* (cui sedes olim fuerat Auræ, unde *Auritanus*, & corrupte in quibus-
dam Conciliis aliisque Actis publicis *Auxitanus* dicebatur, translatus inde *Burgos*, Castellæ Veteris Metro-
polim, ab Alphonso vi, eo, qui Toletum Christianis restituit, auctoritate Urbani i i P. M. anno cto xcvi) *Cuena* vel *Cunquensis*, *Cinqueneæ* vel *Ciguntensis*; *Osma* vel *Oxomensis* (perperam in Conciliis *Oxoviensis*):
Cordubensis, (Episcopatus hic antiquissimus & propter Osium Episcopum celebratissimus) *Jaenensis*: *Palen-
tinensis*, vel *Palentinus*; *Segoviensis*. Secundus *Hispalensis*. Sub eo quondam xi, hodie i i i, sunt Episcopa-
tus: *Malacitanus*, *Gaditanus* & *Canariensis*. Tertius *Compostellanus* est. Episcopatus hujus sedes olim fu-
erat *Iria Flavia*, unde *Iriensis*, Opidum Galiciæ maritimum, *Padron*, vulgo. Translatus autem postea Com-
postellam, dici deinceps cœpit *Compostellanus*, vel *S. Jacobi*. Ejus auspicia sequuntur: *Coriensis*, *Placentinus*,
Asturicensis, *Gamorenfis*, *Salmanticensis*, *Orecensis* (qui & *Aurienfis* & *Aurissinus*, *Orensis* item) *Tuiensis* (vel *Tu-
densis*, a *Tude* five *Tyde*, opido Galiciæ ad Minium amnem sito *Tuij*, vulgo) *Badaiocensis* (hodie quoque
Pacensis) *Mindoniensis* (cujus sedes olim Ribadeum, vulgo *Mondomedeo*). Quartus *Granatensis*.